

excepisse. Vir pro certo in administrandis publicis utilitatibus nulli priorum secundus, sollers ingenio, litterarum divinarum quamque secularium prepollens studio, utque vulgari proverbio fungar: figmenti testa figulum conprobat. Tot ea tempestate speciali artium prerogativa florere, ut nil aliud crederes Floriacense solum, quam liberalium torrentem disciplinarum dominicęque scolę gymnasium.

Utque e pluribus pauca demetam, huiusce senatorum curię unus, interque monastici ordinis primores iure notandus Aymoinus insignis facundię composuit librum *Gesta francorum pretitulatum*; texuit et quendam in patris Benedicti laude sermonem metrorum intercalatione pulchrę micantem, quo precedentium colligens assertiones patrum hunc adtestantium, Patriarcharum equiparandum virtuti signorum pretiosissimum efficit margaritum. Deinde sub optentu nominis huius venerandi pastoris recentia eiusdem patris magnalia rethorica promulgavit facundia. Quem subsecutus Arnulfus sagacis astutia ingenii precipuus singula distico subdistinxit reciproco. Rursus prefatus Aymoinus tricenorum dictitans gesta abbatum hoc Floriacense regentium coenobium, usque ad iam dictum Abbonem decurrit abbatem, cuius et textum passionis stilo dictante posterorum mandavit memorię. Odo vero doctrine sophisticę debriatus flumine, summi Benedicti confessorum¹⁾ dialogum vite heroico variavit scemate. Translationis quoque seriem Giraldus, haud spernendę scientię fulgor, elegiaco defloravit pentametro. Alter etiam actu et nomine Vitalis vitam egregii Pauli incliti Britannorum presulis censura providi correxit acuminis. Ceterum Isembardus vir summe sanctitatis et innocentię, qui quantive prestantioris dogmatis lumine huius ter beati splendere in tempore, in libro quem *Puerorum speculum* prefixit notamine, succincta enucleat sermocinatione. Porro nec pretereundum singularis institutoris Hisimberti summum memoriale, quem ipse sacre prefecerat bibliothecę, qui adeo in educandis spiritalium filiorum animis perstitit, ut procul dubio crederes dignis patribus digne posse succedere inlustrium propaginem heredum. His etiam diebus historia patris Benedicti adventus, quam Constantinus illius loci nutritus atque abbatie Miciacensis honore ab Arnulfo Aurelianensium presule donatus, musicę artis dictaverat pneumatibus, suasu Helgaudi precentoris permissuque Gauzlini abbatis Floriacensis loco primo insonuit. Horum cuneis procerum rector pollens insignium, legem dextra flammigeram, leva vibrabat gloriam. Emulatusque monumenta illius Machabei qui paterna confinia bellorum auxit titulis, invigilat et ipse voto consimili erga sui ampliationem loci.

1) confessoris ?